



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Nobili Viro Ioannitio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

## A. VICEDOMINO FIRMANO.

Epiſt. 262.  
Ipsi aliquot  
præfectorias  
committit.

**C**um devotionis affectum, quem habes ad apostolicam sedem & nos ipos, sicut per Legatos nostros, quos in Marchiam misimus, nostro est apostolati referatum, in operis exhibitione monstraveris, & pro Ecclesia servitio multis te exposueris laboribus & expensis, fidelitat ac devotioni tuae grata cum primum vicissitudine respondere & petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, assensum gratanter apostolicum impetriri. Volentes igitur te ad nostrum servitium reddere promptiorem, castrum Montis sanctæ Mariæ, cum curtibus Montis sancti Petri, Montis Rodaldi, sancti Iohannis, Podij de Petra, Pertetariae, Pontarioli, Montis Garivini, Carlassalis, & Peratiae ad ipsa castra haec tenus pertinentibus tibi duximus, donec nobis aut successoribus placuerit, salvis censibus & procurementibus, committendum; ita tamen quod ea omnia ad fidelitatem & mandatum Ecclesiae conserves integra & illæsa, nec de eis aliquid alienare præsumas.

M A G I S T R O G V I D O N I  
Archipresbytero plebis de civitate.

Epiſt. 263.

**C**um à nobis petitur &c. usque ad verbum suscipimus. Specialiter autem archipresbyteratum ipsum, sicut ipsum justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus &c. Nulli ergo &c. Datum Laterani II. Kalend. Ianuarij.

Epiſt. 264.

In eundem modum pro G. Clerico. Specialiter autem beneficium quod habes in Ecclesia sancti Mauriti &c. ut supra. Datum ut supra.

ABBATI SANCTI VOLDARICI,  
Scholastico, &... Custodi Auguſtenſibus.

Epiſt. 265.  
Vt dolus illi  
non proficit qui  
aliquid à fede  
apostolica fal-  
so impretrasse  
mentatur.

**A**d nostram dudum noveritis audentiam pervenisse quod cum dilectus filius Hermannus Clericus in Ecclesia de Loerch canonice fuerit institutus, & corporalem possessionem per annum & amplius habuerit in quiete, ab Alberto concanonico suo fuit postea beneficio ipso & ejus obventionibus usque ad vi-ginti marchas valentibus per violentiam spoliatus, in quem dioceſanus Episcopus, quoniam super his in praesentia sua juri parere contempſit, excommunicationis sententiam promulgavit, quam per an-

num & amplius indurata facie sustinuit & contempſit. Vnde cum ex hoc Clericus spoliatus ablatorum restitutionem obtinere non posset, ad apostolicam sedem accedens, nostras ad venerabilem fratrem nostrum Episcopum & dilectos filios Praepositum & Decanum Augustenses litteras reportavit ut praedictam excommunicationis sententiam, sicut rationabiliter lata erat, facerent auctoritate nostra usque ad condignam satisfactionem inviolabiliter observari. quod, sicut ipsi suis nobis litteris intimarunt, fideliter adimplerunt. unde illorum devotionem in Domino commendamus. Consequenter vero praefatus A. ad praesentiam nostram accedens, veritate tacita præmissorum, & quod Canonicus esset ecclesiæ memoratae, ad vos commissionem simplicem impertravit ut causam quæ inter Al. & Hermannum Clericos vertebatur super præbenda in Loerch, curaretis sine debito terminare. Idem etiam Albertus in reditu constitutus, apud castrum sancti Petri adversarium suum obvium habuit ad nos de nuno venientem, ad cuius denuntiationem redire contempſit, in praesentia nostra exhibitus & recepturus justitiae complementum, cuncta se asserens quæ voluerat impetrasse. Nolentes igitur aliquem de dolo suo commodum reportare, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita super præmissis diligentius veritate, non obstante commissione ad vos per subscriptionem obtenta, cum mendax preceptor carere debeat impetratis, sapientum A. in eandem excommunicationis sententiam reducatis, facientes eam pulsatis campanis & accensis candelis usque ad condignam satisfactionem appellatione remota inviolabiliter observari; ut exemplo ejus alij discant à similibus abstinerem. Nullis litteris obstantibus harum mentione non habita &c. Quod si omnes &c. duo vestrum &c.

## NOBILI VIRO IOANNITIO.

**R**espexit Dominus humilitatem tuam & devotionem quam erga Romanam Ecclesiam cognosceris haec enim habuisse, & te inter tumultus bellicos & guerrarum discrimina non solum potenter defendit, sed etiam mirabiliter & misericorditer dilatavit. Nos autem auditio quod de nobili urbis Roma pro-

Epiſt. 266.  
Vt Legatum  
apostolicum  
reverenter ex-  
cipiat.  
Reſponſio hujus  
epiſtola extra  
infra lib. 5.  
epiſt. 115.

T t t

sapia progenitores tui originem traxerint, & tu ab eis & sanguinis generositatem contraxeris & sincerae devotionis affectum quem ad apostolicam sedem geris quasi hereditario jure, jam pridem te proposuimus litteris & nuntiis visitare. Sed variis Ecclesiae sollicitudinibus detenti, haec tenus non potuimus nostrum propositum adimplere. Nunc vero inter alias sollicitudines nostras, hanc etiam assumendam duximus, immo consummandam potius jamdudum assumptam, ut per Legatos & literas nostras te in laudabili foveamus proposito, & in devotione sedis apostolicæ solidemus. Dilectum itaque filium nostrum Dominicum Archipresbyterum Græcorum de Brundusio ad te personaliter destinantes, monemus nobilitatem tuam & exhortamur in Domino, ac per apostolica tibi rescripta mandamus, quatenus ipsum humiliter & devotè recipiens, honorifice ac benignè pertractes, & per eum plenius nobis tuam devotionem exponas. Cum enim plenè nobis per ipsum de sinceritate tui propositi & devotionis affectu constiterit, ad te proposuimus maiores nuntios vel Legatos potius destinare, qui tam te quam tuos in apostolicæ sedis dilectione confirment, & te de benevolentia nostra efficiant certiorem.

*PRÆPOSITO ET FRATRIBVS  
sancti Stephani in Brolio.*

*Epiſt. 267.  
Vt Al. Marcellino in Ca-  
nonicum reci-  
piant.*

**C**VM pro dilecto filio Al. Marcellino Subdiacono nostro preces vobis misissimus apostolicas & præceptum ut ipsum in fratrem vestrum & Canonicum recipere deberetis, titulati Ecclesiae vestrae hoc in suum præjudicium fieri afferentes, ne procederetur in illius executione mandati, nostram, sicut audivimus, audientiam appellarent. Postea vero cum dilectus filius H. qui se Canonicum ipsius Ecclesiae afferebat, propter hoc ad nostram præsentiam accessisset, propulsit coram nobis quod cum tam ipse quam socij sui diu Ecclesia illi obsequium impendissent, nec adhuc essent ab ea beneficia consecuti, indignum erat penitus & absurdum si in perceptione beneficij eis alius preferretur. Quia igitur mandatum quod pro eodem Subdiacono emanavit debita volumus executione compleri, titulatis ipsis volentes nihilominus paterna sollicitudine providere, per apostolica vobis scripta man-

damus atque præcipimus quatenus eundem Subdiaconum, prout in mandatis apostolicis receperitis, sublato cuiuslibet contradictionis & appellationis obstacle recipiatis in Canonicum & in fratre, stallum ei in Choro & locum in Capitulo assignantes, reservata vobis de benignitate sedis apostolicæ libertate ut de beneficiis quæ in Ecclesia vestra vacaverint, canonice disponatis; provisuri tamen attentiū ne ipsius Subdiaconi malitiosè provisio differatur. Si vero, quod non credimus, mandatum nostrum nolueritis adimplere, noveritis nos dilecto filio Guiscardo de Arfag. Canonicō Mediolanensi in mandatis dedisse ut vos ad ea quæ præmisimus exequenda per censuram ecclesiasticam appellatio ne remota compellat. Datum Laterani IV. Idus Ianuarii.

*Illi scriptum est super hoc.*

*CISTERCIENSI, CLAREVALLensi,  
Pontiniacensi, de Feritate, & universis  
Abbatibus Cisterciensis ordinis.*

**N**Ovit is qui nihil ignorat, cui nil absconditum, nil est clausum, in cuius oculis omnia nuda sunt & aperta, & qui renes & corda scrutatur, quod & domos & personas vestras tanto puriore affectione diligimus, & sincerioris caritatis non tam brachiis quam visceribus amplexamur, quanto religionis vestrae flagrantia nos majoris suavitatis odore respersit, utpote qui facti estis odor vitae in vitam his qui diligunt nomen Dei. Sedentes enim sedetis secus pedes Domini, audientes verbum ejus humiliter cum Maria, & Martha sollicitudinem piis orationibus adjuvatis, cum Moise orantes in monte, ut nos cum Iosue hostes Israëlitici populi, præsertim invisibles, expugnemus. Affligitis etiam corpora vestra vigiliis quasi continuis, & assiduis jejuniis maceratis, vacatis operibus caritatis, contenti paucis, ut plura pauperibus ministretis, egentes in vobis, & in aliis abundantes, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Thesaurizatis enim thesauros in celo, ubi nec ærugo nec tinea demolitur, credentes Apostolo quod non haberis manentem civitatem in terris, sed futuram inquiritis. Vestra enim conversatio est in cœlis. Creditis enim & pro certo tenetis quod auditis in evangelio & legib[us]: *Quod uni*

*Epiſt. 148.  
Vt quinque  
gefian bono-  
rum suorum  
partem in uita  
belli faci co-  
ferant.*